

PETRI RAMI SCHOLA-
RUM MATHEMATI-
CARUM LIB. III.



ACTENUS utilitatis quaestio disputata est, obscuritatis multo major difficultas est reliqua: potest enim dici, ut jam praedictum est, utilitatem quidem mathematicam certam esse, sed tantis obscuritatibus obsitam, ut spes assequendi nulla sit. Equidem si mathemata obscura esse negem, non satis verecundè dicere videar. Quis ignorat (ait orator) ii, qui mathematici vocantur, quanta in obscuritate rerum & quam recondita in arte & multiplici subtilique versentur? Nihil igitur dissimulabo, fateor quindecim libris elementorum nihil unquam humana manu obscurius scriptum esse: fateor etiam cum ad Euclidem pervenerim, antecedentiū artium studium, jocum & ludum non studium mihi visum esse: elementis verò mathematicis qui daret operam, cum seriò studere ac discere, hic verò esse μαθηματικὴν καὶ μαθητὴν disciplinam & discipulum. Nusquam animus magis excitatus & erectus, magis ad rem attentus conversusque, nusquam iudicium acrius, nusquam memoria promptior constantiorque exigitur. Potes grammaticam & rhetoricam ita perdiscere, ut earum quaelibet opera promptè ac memoriter exequare, qui arithmeticas & geometricas commentationes promptè ac memoriter semoto pulvere atque abaco praestare possit, hominem arbitror esse neminem, cuius obscuritatis ac difficultatis argumentum illud est, quod ab Euclide duo ferè annorum millia elementis nihil omnino detractum vel additum: quamvis ex elementorum demonstrationibus à Theone nonnihil immutatum sit, quamvis à summis authoribus alia quaedam sint elaborata, σοιχέωσι tamen eadem permansit. Quid plura? verè quidè affirmare possum studium omnino nullum esse, nisi mathematicum, discipulumque omnino nullum esse, nisi mathematicum. Nec immeritò principia studendi, elementa discendi à philosophis illis veteribus Pythagora, Platone, Aristotele in mathematicis esse constituta. Verumtamen, ut Plutarchus adnotavit, obscuritas ista ubi semel initio devorata sit, ridicula videtur: & miramur id principio nobis per obscurum fuisse, quod perceptum, facillimum imò jucundissimum gratissimumque accidat. Ergo labores mathematicos, ergo studia mathematica demonstrant illæ voluptates Thaletis, Pythagoræ, Eratosthenis, Archimedis, Persei sacrificiis declaratae. Verumtamen obscuritas ista, quæ mathematicis artibus tantopere obicitur, majorne est aut gravior logicae analyseos, aut physicae acroaseos obscuritate? At utraque obscuritas illa tum logica, tum physica in cathedris & scholis omnium Academicarum sine querimonia versatur: imò Aristoteles ipse de industria obscurus esse à suis interpretibus praedicatur. Quid igitur Euclidis potius, quam Aristotelis obscuritas improbatur? Præmia, inquires, à regibus Aristoteleæ philosophiæ, non Euclideanæ mathematicæ proposita sunt. Et munera, inquam, utilitatum
tam